

Nf 14



DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
ULTIMA, SEU IPSA DUODECIMA,

DE  
**PATROCINIO  
ET SEMINIBUS  
PAPISMI,**

QVAE IN OECONOMIA VIRI CLARISSIMI,  
*PETRI POIRETI,*

PASSIM EXTANT,  
PRAECIPUE IN MATERIA DE CEREMONIIS ECCLESIASTI-  
CIS ET *ἱεροθρησκεία:*

QVAM, SUBJUNCTA EPISTOLA,  
POSTHUMORUM POIRETIANORUM EDITORI  
OPPOSITA,

IN REGIA FRIDERICIANA,  
DIE *JUL. HVJVS MDCCXXII. ANNI,*  
PLACIDAE *συζητήτων* DISQVISIONI SUBMITTIT *ca.*  
PRAESES

**D. JOACHIMUS Cange/**  
S. S. THEOL. PROFESS. ORDIN.  
ET ACAD. h. t. PRO-RECTOR,

RESPONDENTE  
**JOANNE CHRISTIANO Schulz/**  
LUCKENWALDENS. MAGDEB. S. THEOL. STUD.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

DISSELTATIONEM ANTIPORETIANARUM  
DODECADDIS POSTERIORIS  
ULTIMA 221 182 DUODECIMA

PATROCINIO  
ET SEMINIBUS  
PAPISMI

QUAE IN ECONOMIA VITI CLARISSIME  
PAPISMI BOVAVIA  
PAPISMI EXISTIT  
PRAEPIE IN MANU DE CEMENTIS ECCLIASTI  
PAPISMI  
QUAE IN PRAESENTIA  
POSTHOMINI PORTUARIUM EDICION  
PAPISMI  
PAPISMI

IN REGIA FRIDERICIANA  
PAPISMI  
PAPISMI  
PAPISMI

D. JOACHIMUS  
S. THEOL. P. D. 22. ORDIN.  
ET ACAD. P. D. 22. ORDIN.

JOHANNES CHRISTIANO  
PAPISMI

WITTE JOAN. FRIDERICI KROTENDORFII. Acad. P.  
WITTE JOAN. FRIDERICI KROTENDORFII. Acad. P.





LECTORI VERITATIS EVANGELICAE  
AMANTI  
SALUTEM PLURIMAM,  
A CHRISTO, IPSA VERITATE.



Xaminis cursum, quem per  
viri clarissimi, PETRI POL-  
RETI, *Oeconomiam* institue-  
ram, quæ Dei est gratia, ita  
nunc absolvi, ut non nisi  
ejus reliquiæ, in aliquot  
Papismi principiis adhuc excutiendis, peragendæ  
restent. Non quidem dixerim, præter materias  
istas, quas hæctenus disquisivi, nullas esse alias, in  
quibus, quod juste desideres, non invenias: *præ-*  
*cipuas* tamen, quæ arcta cognatione coherent,  
nonnullis brevitatis causa prætermisissis, me ex-  
cussisse, nemo, quod arbitror, diffitebitur. Ad  
materias istas, in quibus varia papismi principia  
partim latent, partim evidenter exstant, quod at-  
tinet, constitueram quidem omnes istas ac singu-  
las ex integra *Oeconomia* collectas, hic præeunte  
disqui-

disquisitione mea lectorum examini subicere: sed copiam earum nunc majorem deprehendo, quam quæ in ultimam hanc Dissertationem redigi possit. Quare reliquis, quæ etiam magna ex parte data occasione in ipsis utriusque Dodecadis Dissertationibus passim jam detectæ sunt, prætermittis, eam tantum, quæ de *Ceremoniis ecclesiasticis* agit, & ita tractata est, ut libertati evangelicæ e diametro repugnet, nec exiguum Papatus patrocinium contineat, nunc considerabo. Istius enim tractationis ratio ita comparata est, ut alios in ipso papatu, de continuandæ communionis periculo convictos, rursus consopitos in eadem retinere, aliis vero, ut terrestrium emolumentorum causa deserta ecclesia evangelica ad eam transeant, etsi Auctor id minime intendat, nec adprobet, eximie tamen speciei ansam & prætextum præbere possint. Quare operæ visum est pretium esse, ut hac de re adhuc seorsum agerem, & quid illa in recessu habeat, adhibita discussione ostenderem. Id quod amici quidam commagis crediderunt necessarium esse, quo magis ipsa jam experientia teste constet, istum periculi metum respectu multorum ad damni eventum abiisse. Duo vero sunt præcipue, quæ Poiratum papatu reddiderunt faventioem. Unum *auctoritas*

*ritas Burignoniae suae; alterum nimium & inconsultum theologiae mysticae studium.* Et ad causas haec favoris duas accessit tertia, in variorum errorum, doctrinae evangelicae repugnantium, analogia & communione posita. Burignonia, quam ut doctrinae magistrum Θεόπνευστου veneratus est Auctor, patui fuerat, & non obstante secessu ejus mystico, ex parte manebat, addicta, ipsum pro vera Dei ecclesia habens, & multas papismi scorias retinens. Quas quod pro auro acceperit Poiretus, eo minus est mirandum, quo magis isti magistrae suae, ipsa ejus Oeconomia plurimis in locis teste, addictus fuit, & quo magis theologiae mysticae, in cujus praerogativa illa tota erat, pretium statuit. Quamvis enim theologia ista, respectu fermenti dogmatici & practici, quod papatus in confessione publica & in regimine ecclesiastico habet, omnino sit instar salis, merito aestimandi: multum tamen fatuitatis salem istum apud nonnullos scriptores in pretio habitos contraxisse, exploratae & evictae veritatis res est. Absit, ut ullum elenchum, qui a veritate & caritate alienus est, adversus papatum probem. Absit etiam, ut negem, multas sub papatu esse pias animas, Deo notas, ipsique in luce & fide evangelica ita adherere, ut scoriae istae multae, defectusque varii, quibus laborant, iis nul-

lum salutis naufragium adferant. Sed interea tamen ex altera parte dicendum omnino, quod res est, nec præsentissima animarum pericula sunt reticenda & incrustanda, nedum pro salutis promovendæ subsidiis habenda. Vale in Domino!

POIRETIANA COMMENDATIO  
 Ceremoniarum superstitiosarum &  
 ἐφεροδυσσεύων, tanquam papatus  
 illex.

Locus I. Oecon. L. III. c. X. §. IV.

p. 718.

*Si quis vel rerum multitudine distractus, vel bonarum cogitationum, quibus applicari debebat, obliviosus, non nisi difficulter in animo suo se colligat; hincque ultro sibi media quedam ac ceremonias externas instituat inveniatque, quibus bonas cogitationes sibi in mentem revocet, animumque in Deo recolligat; ea omnia coram Deo justa erunt, bonaque & valida, atque divinæ Majestati gratissima: Quippe Deus benigno oculo intuetur omnes, qui ipsum per vias quascunque querunt, animamque & corpus, & media omnia, per que queritur, benedictione prosequitur: Et hæc ex superioribus pariter manifesta sunt. Talem puto originem sacrificiorum fuisse,*



fuisse, aliorumque cultuum seu ceremoniarum, que ante legem Moysi, & sub lege natura celebrabantur. Neque enim isthec ab ipso Deo instituta fuisse usquam legimus. Et licet vel ab ipso maxime instituta fuissent (quod nunquam probatur,) inconcussa tamen manet veritas hec nostra, juxta quam, quocumque homines, ubicumque & quodcumque volent, si ceremonias sibi quascumque eam ob causam excogitabunt atque instituent, ut scilicet Deo facilius diligentiusque attendant; Deus tum homines ipsos, tum eorum ceremonias, vel maxime approbabit, licet forte aliorum ceremonie ab aliorum ritibus penitus differant. Deus enim non potest non approbare eos, qui operam dant, ut cogitationem de se animo suo presentem habeant, ipsumque serio querant, quacumque via illuc annitantur. Si quid certe juris homini a Deo datum est, quo creaturis utatur (datum autem esse, nemo dubitat;) illud profecto vel maxime in eo erit, ut per earum usum Deum sibi in mentem revocet.

### Disquisitionis hujus loci.

1. In reliquis doctrinae Poiretiana partibus, in utriusque Dodecadis Dissertationibus hactenus consideratis, disquisitioni elencticae majoris convictionis gratia *didascalica veritatis tractationem* & *confirmationem* praemisi. Qua methodo nunc etiam, quid de ceremoniis statuendum sit, a me in thesi praemittendum fuisset. Sed quia Dissertationum numerum, per se jam satis extensum, augere nolo, neque hoc de ceremoniis dogma unum e primariis est, statim ad Poiretiana hypotheseum examen, & quidem, quam fieri potest, brevissime instituendum, accedo, in eo illa simul in medium allaturus, quae ad ipsam thesin pertinent.

2. Ante omnia observandum est Auctoris nostris *πρῶτον Θεῦδος*, e quo reliquae argumentationis aberrationes resultant. Hoc est principium in se veri rectique mala applicatio, multa alia gignens falsa confectaria. Principium suum pro indole cultus divini, novi testamenti oeconomiae convenienti, §. 1. recte ponit in illo Servatoris

toris nostri dicto: *Deus est spiritus, & qui eum adorant, eos oportet ut in spiritu ac veritate illum adorent.* Jo. IV. 21, 23. Pro eo autem, quod ex hoc principio hæc derivare debuisset consecratoria: *Cultus novi testamenti externus quo est simplicior, seu quo minus habet ceremoniarum, eo est melior: item: ipsa ceremonia non tantum ad cultum Dei interiorum dirigi debent, (quod ipse urget Poiretus) sed ita etiam constituta sint necesse est, ut veritati interiori, quam ipse cultus habet, convenient, atque ita etiam nihil ficti & commentitii, quod ipsius supposita rei veritate caret, contineant.* Pro hisce, inquam, consecratoriis auctor doctissimus inter alia hæc neccit:

*Media omnia, quæ aliquis, rerum multitudine distractus, insituit invenitque, ut bonas cogitationes sibi in mentem revocet &c. coram Deo iusta erunt, bonaque & valida, atque divine majestati gratissima.*

*Deus benigno oculo intuetur omnes, qui ipsum per vias quasunque querunt. &c.*

3. Deinde notandum est, axioma illud Christi de cultu novi testamenti interno, a Poireto pro principio recte adsumtum, non recte ab illo intelligi. Etenim statuit cultum istum non demum introducendum esse in hominem per præconium Evangelii externe audiendum, sed hujus cultus principium ac semen jam natura omnibus hominibus a Deo esse insitum, adeo ut tantum eliciendum & in homine excitandum sit, sive externum Evangelii præconium accedat, sive minus. Videatur hæc ejus mens supra Dissert. III. Dodecadis posterioris verbis ejusdem pluribus expressa & examinata. Ex hoc autem falso supposito ipsos etiam ritus sacrosanctos illos, quos ipse Dominus Evangelio adjunxit, nimirum *duo sacramenta*, non eo habet loco ac pretio, quo habere debebat, de horum administratione, utrum institutioni conveniat, nec ne, parum sollicitus: uti deinceps videbimus.

4. Cultum istum internum (quod seu secundo loco hic notandum est) non simul ex indole evangelii & legis determinat, sed tantum ex lege, eum tantum constituens in CORDE (quod maxime oculis iteris exprimit) *QVOD AMORE ARDENS DEOQUE RESIGNA-*

SIGNATUM EST, *fidei*, secundum oeconomiam Evangelicam, quæ tamen secundum illud Pauli i Tim. III, 9. cordis amoris ardentis depositum esse debet, ne mentione quidem facta. Auctor quidem hujus defectus causa notatus cum admiratione fuisset responsurus, *anne cordis resignatio sit ipsa fides?* nimirum a se ipso omnino supposita & requisita. At quidquid hic prætextuum fuisset allaturus, e Dissertatione hujus Dodecadis octava, qua ipsius sententia de *fide* excussa est, quam liquidissime constat, ipsum de *fide* nec sentire, nec loqui, ut prophetica & apostolica doctrinae hypotyposi convenit. Ex hoc autem neglectæ, aut perperam intellectæ, fidei supposito emergit hoc de cultu Dei externo confectarium, quod aliquis salva conscientia membrum esse possit ejusmodi cæcus, in quo, secundum ipsam symbolicam ecclesiæ confessionem, mysteria fidei corruptissime proponuntur & depravantur. Et quamvis hoc applicari nolit ad cælum Socinianorum, quia illi principio suo, operationi Dei interiori ad entusiasmum usque extensa, nimis aperte sunt contrarii, ad papissimum tamen ut applicetur, adeo non repugnat, ut intendat potius.

5. Illi, qui vel rerum multitudine distractus, vel bonorum cogitationum est obliviscus, & non nisi difficulter in animo suo se colligit, tanquam rem licitam permittere, immo tanquam rem *coram Deo justam, bonam & validam, ac divine majestati gratissimam, commendare, ut utro sibi media quedam ac ceremonias externas instituat inveniatque* &c. quid hoc est aliud, quam permittere, immo commendare, *ἔθελοθρησκείαν*? Cur ejusmodi distracto homini pro externis ceremoniis non commendatur ipsa sui collectio, & in ea *verbi divini pia lectio ac meditatio*, adhibito precum exercitio ad animi corroborationem applicanda? Et si hæc etiam externis accensentur ab Auctore, cur hæc ipsa, a Deo tantopere commendata, non dicam potiori, sed ne eodem quidem loco habet ac ceremonias *viasque* (uti auctor loquitur) *quascunque*, pro fallaci arbitrio quæritas & electas?

6. Ipsorum quoque sacrificiorum originem fuisse in humana *ἔθελοθρησκεία*, seu in mere humana ad cultum inventionem & electionem, est adertum ut falsissimum, sic christiano indignum Institutum

stitutio sacrificiorum mere divina demonstrata est supra Dodecadis posterioris Dissertat. I. p. 13. seqv. Et hic Auctoris clarissimi error eo est gravior, quo absurdus e contrario externum manuum laborem vendicat pro cultu Dei, eoque unico, ab ipso Deo in hunc finem instituto. Sic enim c. XI. p. 736. inter alia de statu protoplastorum post lapsum scribit: *Non videmus Deum homini præter solum laborem ceremonias ullas, aut ullum alium cultum æternum, præscripsisse.* Notandum vero *πρωτων* illud *ψευδος*, qua motus auctor noster de sacrificiis tam abjecte sentiat, quod est error de negato satisfactionis & justificationis forensis dogmate. Quod cum totius rei sacrificialis esset nervus, negatum non potuit non ipsam doctrinam de sacrificiis dignitate sua, quantum in ipso est, exuere. Ut vero pro ritibus suis mere humanis, quales *ἑθελοθησικεία* fabricat, aliquid lucretur, ipsos etiam ritus divinitus institutos & sacrosanctos pro mere humanis, a Deo demum approbatis, habet.

7. Quæ cum ita sint, *inconcussa illa veritas* de humana *ἑθελοθησικεία*, tanquam Deo gratissima, pluribus verbis contentuata, nihil est, nisi præjudicium tenacissimum, quod tam firmas radices apud Auctorem nostrum egit, ut illud nec potuerit, nec voluerit exuere. Anne vero vel Turcarum etiam atque idololatrarum ceremonias, ad cultum Dei excogitatas, eadem via ratas habuerit, aut anne illæ eadem ratione pro ratis Deoque gratis haberi possint, alii viderint.

8. Nec quidquam ipsum juvat distinctio inter usum & abusum, deinceps pluribus verbis, a me studio antea prætermisiss, hic applicata; cum *ἑθελοθησικεία* omnis per se jam sit in vitio, usu carens. Sed videamus nunc, quomodo eam tucatur Auctor.

## LOCUS II. §. V. p. 719.

*Fortè obijcietur, ceremonias illas Deo placere non posse, eo quod Rom. XIV. 23. quicquid non est ex fide peccatum est: Cum autem Deus eas nec exegerit, nec auctoritate sua approbaverit, hinc etiam sine fide adhiberi. Respondeo, ob-*  
*jectio-*

tionem hanc ex crassa quadam ignorantia oriri, qua putant divinam fidem in eo contineri, quod Deus verba externa fecerit, homo vero persuasus sit, ea, quae ille externe locutus est, esse vera. Atque haec fides divina non est: ea enim vel in ipso diabolo adesse possit, siquidem nihil impedit, quo minus possit illi Deus verba externa facere (uti saepe accidit) & ipse de veritate eorum, quae Deus dixit, sit persuasus; & tamen ideo malignus ille ne vel minimam quidem divinae fidei scintillam ita habiturus esset. Fides divina, divinum hoc atque internum lumen est, de quo identidem diximus, quod ipse Deus est, in corde operam dans, ut tenebras & mala hominis dissipet, eumque Deo suo per intelligentiam amoremque uniat. Et hoc ipsam lumen altarum ceremoniarum, de quibus loquor, causam esse assero. Cum enim illud hominem ad Deum quaerendum, ejusque praesentiam animo saepius revolvendam impellat, qui alias per res externas valde distrahitur, hic si per easdem ad Deum recurrere conatur, utique nec instinctu fidei illis utitur. Equidem nihil Deo probabitur, nisi quod ex fide, ex impulsu ipsius Dei fiat, siquidem illi tantum probari ea possunt, quae ab ipso sunt; quaecumque vero ab eo non sunt, mala sunt, ipsique displiceant. At vero non illa tantum Deo placent, atque ex fide venire dicuntur, quae absolute ex fide dominante, ex fide obiecto suo jam fruente fiunt: Verum sufficit, si ex fide vocante fiant, ex fide inquam, quae in corde manifestari bonasque cogitationes, & motus bonos ibidem inserere incipit. Hoc sensu vel maxime quisque peccator optima saepius opera faciet, si scilicet tenebrarum insectibus non obtemperans, lumen Dei sequatur, qui saepissime ipsi in corde loquitur, & non raro ad bonum amplectendum impellit, media simul ac vires ministrans, quibus idem exsequatur. Quae omnia Deus revera non potest non approbare.

*bare: ipseque sanctis suis non raro confirmavit, multa que hominum fides pietasque ita insituerant, sibi probari, atque rata haberi.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Præfidens illa crasse ignorantie exprobratio e justissima objectione illa, *quod, quidquid non est fide est, peccatum sit*, desumpta, æne ad eam haud exiguam ignorantiam, seu errorem auctoris nostri non levem, redeat, quo fictiones animi mere humanas, seu conatus & operationes ejus mere naturales, pro fide divina ac supernaturali habet, alii viderint. Ego certe de eo sum certissimus. Videatur Dissertat. hujus Dodecadis octava, ubi commentum istud Poireti de fide, quam vocat *naturalem*, & simul tamen pro supernaturali habet, excussum est.

2. Vera ac divina fides nititur Dei mandato & promissione, ante tempora Mosis ἀγάθος, post ea vero ἐγγράφως, aut per prophetarum oracula viva voce pronunciata datis. At hæc fides, hoc se caractere insigniens, Auctori nostro non est fides divina, sed crassa ignorantia. Unde mirum non est, ipsum hic pro sua de fide hypothesi & ἰσοφωσία theologica in alia omnia abire.

3. Instantiam a fide diaboli, verbo Dei nitente, desumptam frivolum plane esse, nemo non videt; cum non de historica, sed de vera & viva fide sermo sit.

4. Quantopere fides oeconomica, quam Deus requirit & efficit atque acceptat, & quam omnium temporum fideles pro genuina habuerunt, ab ea, quam Poiretus isti supponit, differat, ex eo etiam colligas, quod ipsi *ista fides est ipse Deus*. Quod locutionis & hypotheseos portentum e quo falso principio apud ipsum oritur, qui scire avet, recolat πῦρον ipsius ψεύδος de anima humana, tanquam *particula ipsius divine essentia*, per essentialiam emanationem constituta. Id quod jam ante plures annos in duabus Dissertationibus, capituli X. & XI. Libri I. Oeconomie Poiretiane oppositis, discussi.

5. Quæ Auctor de fide *dominante & vocante*, seu, ut in locis Dissert. Dodec. post. octava loquitur, de fide *naturali & supernaturali*

*naturali* scribit, cum reliquis philosophematis nihil sunt, nisi ejusdem erroris repetitio & incurfatio, peculiaris dialyseos haud indiga.

### LOCUS III. §. VI.

*At vero, reponent, Deus per hominum inventa coli non debet, qui non nisi secundum voluntatem suam sibi vult serviri. Respondeo, quisquis hanc objectionem contra ea, que dixi, opponi posse arbitratur, is certe, quid verus Dei cultus sit, adhuc ignorat. Verus Dei cultus est internus. Deum colere est Deo attendere, Deum querere, eum suspiriis suis anhelare, amare, nihilum nostrum agnoscere, nobismet renunciare, penitentiam agere, Deum in nobis operaturum non impedire, & virtutum exercitiis vacare. Omnia externa, seu media, huc tendunt: quæ ab ipso Deo per indirectum instituta videri debent, quatenus Deus hominibus singulis jus potestatemque dedit, externis omnibus ita utendi, ut per ea ad ipsum redeant. Itaque tantum abest, ut indignari debeamus pauca quædam adhuc usum, & rarius quidem adhiberi; ut potius in omnibus ejusdem studii occasionem captare oporteat.*

#### Disquisitio hujus loci.

1. Videmus Auctorem eadem hic chorda oberrare, seu justissimam & validissimam objectionem, *Deum, qui non nisi secundum suam voluntatem sibi velit serviri, per hominum inventa coli non debere*, per exprobrationem ignorantiae, seu ignorati veri Dei cultus a se amoliri. Qui disputandi modus cujus generis sit, quis non videt?

2. Et quænam autem est veritas, aut quænam consequentia in hac propositione: *Qui negat, Deum per hominum inventa coli, ipsi non nisi secundum voluntatem suam serviendum esse contendens, is, quis verus Dei cultus sit, ignorat.* Si vero propositio hæc fallissîma pro vera non agnoscitur, eccur Auctor se ea tuetur?

tur? cum non nisi inventa humana, tanquam genuina media interni cultus promovendi, propugnet & dissentientibus ex hac ipso dissentiu interioris cultus ignorantiam adscribat.

3. Deum hominibus jus ac potestatem dedisse, ut rebus externis, tanquam adminiculis pedagogicis, ad ipsum creatorem nos quasi manu ducentibus, utantur, verum est: sed falsum est, istam potestatem, seu illud officium, ad religiosas cujusvis generis ceremonias, pro arbitrio nostro excogitandas formandasque, & pro externi cultus nervo, qui Deo placeat, constituendas, extendi debere. Nam usus rerum externarum ad Deum directus non solum consistere potest sine strepitu excogitatarum ceremoniarum, sed etiam eo viget rectius ac purius, quo cultus Dei externus est simplicior ac evangelio convenientior. Si vero res ex Auctoris nostri arbitrio ageretur, vel ipsum jugum ceremoniarum Leviticum haberemus reductum, quandoquidem id non rarius, aut parcius prædicat, sed in *rebus omnibus studium captandi occasiones*, ut per ceremonias ad Deum redeamus, commendat. Sic, qui *vera salutis media* postponit, *falsa* commendat. Id quod in viro alias perspicacissimo miror.

4. Ea, quæ §. VII. seqq. occurrunt, prætermitto. Etsi enim in iis etiam falsa veris (quæ absit, ut ullo loco improbem) mixta sint, brevitatis tamen causa ad alia, quæ paulo extantiora sunt, pergo, reliquis lectorum dijudicationi relictis.

## LOCUS IV. §. XII.

*De rebus iisdem externis notandum est: Si forte, quæ a Deo instituta fuerant, temporis lapsu ab hominibus mutatae sint, tandemque ab institutione prima penitus differant, eadem tamen piis adhuc mentibus ad sese in Deo colligendum utiles esse possint; oportet omnino illas ita, uti nunc sunt, relinquere potius, quam per earum mutationem animos hominum, infirmos potissimum, turbare, obtentu scilicet renovationis, seu reformationis instituende, cavenda superstitionis ac idololatriæ, similiumque, quæ turbulenta capita abunde sint*



sint allatura, quaeque omnia non nisi mendaces quidam pretextus sint, quibus fastum suum dissimulare conantur, quotquot inter alios eminere, aut christiane gentis censores & secliarum principes videri amant. Ceremoniae ad religionis essentiam non pertinent. Itaque non tam ceremoniae, quam corda reparari atque reformari debent. Attenta sui ipsius inspectio, divinus amor, charitas, fides, humilitas, renunciatio sui ipsius, puritas, pax, & universae virtutes christiana, in corde reparari debent. Haec, inquam, in intimis animae restituere oportebat, externis autem omnibus eandem ob causam ita uti, quemadmodum ab omnibus frequentantur, praesertim ea si talia sint, ut in animabus multis manifesto pateat, per earum rerum usum ad Deum rediri & in gratia atque virtute profici posse; sique praeterea tristis constet experientia, reparationes omnes usque adhuc adhibitas, orbem quidem turbis, odiis atque caedibus implevisse, neminem autem sanctiorem reddidisse &c.

Itaque parum est, quod objiciant, ceremonias esse mutatas, novas quasdam esse substitutas, eas ad gentilium ritus accedere, & quaecumque alia asserre solent. Haec quidem non leve pondus habere videntur populo fundamenta rerum nunquam examinanti, quem per angusta haec, quae praetendunt, verba commovere facile possunt, qui sectam sibi quaerunt: at coram veritate nihil debilius est atque infirmius. Ipse Deus in Judaeorum ceremoniis instituendis gentilium plerumque atque Aegyptiorum ritus quosdam imitatus est, si nonnullis inter eruditos conspicuis credamus, quorum sententiam licet aliqui meam non faciam, certum tamen est, ipsam christianorum baptismum e Judaica quadam ceremonia primitus imitatum esse. Totus cultus externus, quantum quantum est, non nisi ludi cujusdam rationem habere videtur co-

ram Deo, qui creaturis suis infirmis balbutientibus & pueriliter ludentibus accommodare sese non dedignatur, modo corda earum ita attrahat, sibi que faciat lucri. Itaque tantum abest, eos Deo non probari, qui ceremonia cujuscunque usu cogitationem ejus sibi presentem reddunt, ut vel ipsis etiam ethnicis, qui ita ad ipsum redeunt (Rom. II, 26.) præputium suum impuret pro circumcissione, fidemque ad justitiam. Nimis maligni sunt liberi illi, qui fratres suos Deum querentes ideo condemnant, quod aliis modis atque ipsi utantur. Itaque in his animo sint quieto atque tranquillo, omnia ejusmodi eodem sunt loco apud Deum, quando corda in singulis perinde ad ipsum recurrunt, qui non, quid corpus faciat, aut non faciat, sed qua in re recolligatur animus, respicit, quomocunque moveatur corpus, nihil ille aut parum pensi habet, modo animus ad ipsum adsurgat. Hujus quippe amorem sibi soli vendicat; cum sit Deus cordis; atque adeo omnes eos, qui ipsum in intimis adeunt, cum amore recipit, quibuscunque vis usi sint &c.

### Disquisitio hujus loci.

1. Manifestum est, Cl. auctorem nostrum per ceremonias ab ipso Deo institutas intelligere sacramenta, imprimis si, quæ hic dicta sunt, conferas cum iis, quæ postea L IV. c. VI. de Eucharistia dicuntur. Manifestum porro e re ipsa est, eum, uti in tota hac de ceremoniis tractatione, sic speciatim in hoc loco, præcipue ad papatum respicere, & apud Papæos in sacramentis, speciatim in Cæna, Domini respectu ejus mutilationis, falsocredita transsubstantiationis, sacificationis, religiosæque circumgestationis & adorationis, vi allatarum, nec falsi convictarum, objectionum agnoscere tantam mutationem, per quam ista a prima institutione penitus differat, & que cavende superstitionis ac idololatriæ causa ipsa fugienda sit. Præterea allegat justissimas sub papatus jugo gementium, aut istud abjicientium, querelas de ceremoniis mutatis & ad gentilium ritus accedentibus. κ. τ. λ.

2. Hæ

2. Hæ aliaque gravissimi momenti rationes, e quibus de papatus apostasia & forma ejus antichristiana quam liquidissime constat, Auctori nostro non solum nullæ plane sunt, ad confortium ejus ecclesiasticum fugiendum, sed præterea etiam sinceros evangelicæ veritatis testes, quibus ea vel ipso sanguine suo fuit carior, hisce gravissimis onerat conviciis, quod sint *turbulenta capita, quod in obtentu reformationis instituenda & cavenda sup. rationis ac idololatriæ non nisi mendaces pretextus habuerint, seu adhuc habeant, quibus fastum suum dissimulare conentur, idque agant, ut inter alios emineant, aut christiana gentis censors & sectarum principes videantur.*

3. Jam quæso perpendant Poiretiani nominis ac systematis admiratores, quid in hodego suo habeant, & anne cum illis, qui inter ipsos Pontificios acerrimi evangelicæ veritatis hostes sunt, conviciis in christianos evangelicos eorumque doctores, præcipue Moses & Josuas illos, qui populum Dei e Papæa Aegypto tanta cum sui ac commodorum suorum abnegatione eduxerunt, conjiciendis certet? Et utrum hic bonus sit scriptoris mystici character, nec ne? Spero fore, ut tandem tam manifestas hujus auctoris aberrationes agnoscant.

4. De illis cultus divini partibus, divino amore, fide, humilitate & A & universis virtutibus christianis, in quibus Poiretus cultum cordis, per ceremonias papatus superstitionissimas & idololatricas promovendum, collocat, notanda sunt hæc tria: 1. Quod doctrinæ evangelicæ integritas, in tot summi momenti partibus apud Pontificios depravata & ab evangelicis repurgata, ab ipso eo minus pro cultus interioris subsidio habeatur, quo minus eam ipse agnoscat, habet, & æstimat. 2. Quod, non ignorans, inter Papæos verbi divini lectione sacrilego plane modo prohiberi auditores omnes, hunc promovendi cultus interioris defectum capitalem quasi pro nullo reputet. 3. Quod ejusmodi cultum cordis statuat, qui a fide evangelica alienus centrum suum habet in naturalismo illo, qui supra Dissert. III. detectus enthusiasimum aliquem efformat, & qui, per superstitionas ceremonias promotus, aut solus, sub opinione

magnæ abnegationis & humilitatis, cum fastu pseudo-myſtico & cum quavis hypocrifi, ſeu ſimulatione ac diſſimulatione, crucis fugam & cuticulæ curam pro ſcopo habente, conſitere poteſt. Abſit a me iſte cultus cordis! Nec ita agnovi *Deum cordis*, Poireto tantopere prædicatum.

5. Ut reliqua excutiam; *Deum in ceremoniis Judæorum inſtituendis plerumque gentilium atque Aegyptiorum ritus eſſe imitatum*, ne iſtiſimum eſt Spenceri commentum, a Poireto ex ea adoptatum hypotheſi, qua, negato ſacrificiorum ſenſu ac ſcopo *ἱλαστικῶν* ac evangelico, totam rem ſacrificalem pro invento antediluvianorum mere humano habet. Nec multo verius judicat de baptiſmi origine. Et de *pedobaptiſmo* quam abjecte & falſo contra tot hiſtoriæ monumenta L. IV. c. V. ſentiat, lubens præterii in hiſce Diſſertationibus meis, cum hanc materiam ex inſtituto tractaverim in libro *der Mittel-Straffe* Part. I.

6. Locum Rom. II, 26. vindicatum videas in Diſſertatione ſeconda & tertia hujus Dodecadis. Auctorem noſtrum doctiſſimum adeo hic ceremoniam eſſe, ut ipſas etiam ſuperſtitioſiſſimas ipſorum ethnicorum ceremonias defendat, & pro mediis, quibus ad Deum redierint, habeat, quis non mirabitur?

7. Quæ cum ita ſint, certe veri bonique prophetæ vox haud eſt, quæ animas, hoc ſuppoſito pulvinari, in papæum veternum conſiciens, ita conſopit: *Itaque in his animo ſine quieto atque tranquillo: omnia ejusmodi eodem ſunt loco apud Deum x. τ. λ.*

8. Et quis non cohorreſcat ad hoc principium de motione corporis geſticulatoria & ſuperſtitioſiſſima (de qua hic ſermo eſt) tanquam ſimpliciter indifferenti, ita crude propoſitam: *Deus non respicit, quid corpus faciat, aut non faciat, ſed qua in re recolligatur animus. QUOMODOCUMQUE MOVEATUR CORPUS, nihil ille aut parum penſi habet, modo animus ad ipſam aſſurgat. Hujus quippe amorem ſibi ſoli vindicat, cum ſit DEUS CORDIS &c.* Siccine Deus ita tantum Deus cordis, ſeu animæ eſt, ut non ſit etiam Deus corporis? Quod ſi hoc non vult videri negaſſe auctor doctiſſimus, cur corpori tribuit licentiam etiam per abſurdas & ridi-

& ridiculas gesticulationes, quales papæorum ac ethnicorum sunt, sese cuius superstitioni, & ipsi etiam idololatriæ variæ conformandi? Quid? quod verba ista, de licito corporis motu, *quomodocunque is se habeat*, videri possint ipsius etiam externæ *æcorias* principium continere. Non quidem dixerim, hunc esse sensum ipsius Auctoris; at quis non videt, verba ista pro integro contextu suo adeo imprudenter esse posita, ut non tantum ad id, quod proprie intendunt, sed etiam ad ipsam epicuræ & flagitiosæ vitæ *atraziam* possint trahi. Et si ea *conformatio*, quæ in *superstitione & idololatria* est, cum *cultu cordis* potest consistere, ita ut *ejus promovendi medicum* existat; quis flagitiosus homo non crederet, flagitiorum suorum, membris corporis perpetratorum, rationem ita esse comparatam, ut, licet cultum cordis non promoveat, non tamen oblitet, quo minus cor suum Deo possit esse ac manere dicatum?

### LOCUS V. L. IV. c. VII. §. X. p. 160.

*Aliud (quam de Pelagianis & Socinianis) dicendum est de paribus aut cæteribus illis, in quibus non desunt media profundissime se humiliandi per agnitionem tum status damnabili, in quem decidimus, tum impotentia nostræ, qua fit, ut ex eo emergere nequeamus, nisi accedat gratia omnipotens atque intus operans Dei, carnem indui nostram, ut nos amore suo impletet, a sordibus nostris infinitis, a fastu nostro, atque ab amore proprio nos purificando. Quotquot in hoc articulo bona fide consentiunt, si non adeo distantes inter se videri debent, quam quidem persuadere velent nonnulli, qui morosius atque par est, omnia gravare ideo amant, ut tum studia sua factiosa, suaque emolumenta, consilia item præterita sua, ac res a se ante gestas, nec non dignitatem atque existimationem, qua in mundo valent, tueantur ac defendant, tum etiam, ne cum rubore fateri cogantur, se olim erravisse, aliosque male in dissensiones abduxisse. &c.*

## Disquisitio hujus loci.

1. Socinianismo, in quo Pelagianismus crassior redivivus est, non favere Cl. Poiretum, laudandum est. Utinam vero, qui a Socinianis in dogmate de divinitate Christi dissentit, non maxima ex parte cum iis sentiret, in doctrina de officio Christi sacerdotali, immo ex parte iisdem erraret gravius. Et utinam, qui in capite de necessitate gratiæ Pelagianis contradicit, non novum aliquem Pelagianismum, seu naturalismum, procudisset, qui, quæ naturæ sunt, pro gratiæ & gratiæ effectibus habet. Utrumque adversus ipsum demonstratum est supra ex instituto. Et prius quidem de officio Christi Dissert. Dodec. prioris X. posterius vero Dodec. post. Dissert. II. & III.

2. Papisimo, etsi haud nominato, uti in aliis locis, sic in hoc etiam, a Cl. Poireto patrocinium esse paratum, res ipsa indicat. Nervus vero istius præcipuus rursus est in defensione papalium ceremoniarum strepitu. Cui uti alias tribuit pædagogiam ad cultum & Deum cordis; sic in hoc loco ipsi dicitur *media asserre sese profundissime humiliandi*, atque ita favorem mereri. Addit quidem mentionem articuli de gratiæ & de Christi officio: sed quam falso & a doctrina apostolica abhorrente sensu, abunde liquet e Dodec. I. Dissert. jam allegatis. Quemadmodum itaque ipse Poiretus in dogmate utroque de officio Christi sacerdotali & de gratiæ forensi, dimisso nucleo, non nisi solius phraseologiae, & hujus quidem etiam mutilatæ, putamina retinuit, & respectu ipsius gratiæ medicinalis, seu sanctificantis, naturam habet pro gratiæ: sic mirum non est, quod in papatu utriusque doctrinæ defectum, aliaque doctrinæ seu incrustare allaboraverit, præeunte inprimis magistra sua Buri-gnonia. Verbi divini privatio, quæ tot hominum myriades in carbonaria detinet ignorantia, Auctori nostro etiam nullius est momenti, pro suis theologiæ pseudomysticæ & enthusiasmi principiis. Unde ad cultus interni instaurationem plus tribuit superstitionisfimarum ceremoniarum pompæ in papatu, quam verbo evangelii in ecclesiis evangelicis.

3. Rursus

3. Rursus videmus, Auctori non sufficere simplicem papatus in crustationem, sed hanc, uti alias, ita etiam hoc loco adjunctam habere *insectationem* fati acerbam in doctrinae evangelicae testes, praecipue in primos ejus vindices, quorum merita ipsi *factiosa studia* &c. vocantur. Fuerint nonnulli, immo multi, qui in clencho suo spiritum *σφεγοισμῶν* ducem non habuerint: num tamen ideo de praecleara multorum aliorum opera tam abjecte & contumeliose sentiendum erat?

4. Auctor clarissimus quidem in falsarum hypotheseum suarum praesidium Pauli, omnibus omnia facti, exemplum allegat. Sed quis non videt, per magnum intercedere discrimen inter papalium superstitionum cumulum, & ritus Judaicos, ab ipso Deo olim praescriptos & ideo ab Apostolis imbecilliorum causa aliquamdiu exercitos, aut toleratos? Conf. §. XV. ubi non dubitat, ritus ejusmodi ob paedagogia, quam ad cultum interiorem praestent, respectum habere pro iis, qui sint ab ipso Deo ordinati, probati atque injuncti, adeo ut homines iis conscientias suas submittere debeant. Ut nihil nunc dicam de §. XVII. seqq. ubi secessionem evangelicorum a papatu describit ut *schisma*, Deo haud probatum.

5. In tractatione de sancto *Eucharistia* sacramento L. IV, c. VII. veris etiam falsa esse admixta & haec rursus papatui aliquod patrocinium parare, inter alia ex eo liquet, quod §. XXII. seqq. pluribus tradit & illustrare allaborat, *praesentiam corporis ac sanguinis Christi esse talem, qualem eam fides participantis esse credat*, secundum illud Christi: *Omnia possibilis sunt credenti, adeo ut vel montes transvertere queat.* Marc. IX, 22. XI, 23, 24. Jam applicatione ad Pontificios facta ita sentit: *Itaque quandoque anima pia inter Catholico-Romanos fidem suam omnipotentiae Dei resignat in firma fiducia praesentiae corporalis humanitatis ejus; sinceritas atque magnitudo fidei sua efficit, ut substantia corporis Domini revera ei praesens adsit, Deumque ac omnipotentiam divinam ita determinat, ut id ipsum, quod fides amplectitur, juvenat esse ratum.* Et omnibus dicat, *fiat vobis secundum fidem vestram.* Matth. IX, 29. Et ex hoc ipso principio deinceps

papazum *transsubstantiationis* dogma una cum *adorationis praxi* inde ortum sua tractatione exornat, ita ut, quod ipse non statuit, tamen mirifico colore inducat & amabile reddat. Quæ quo loco habenda sint, quis non videt?

## LOCUS VI. c. VIII. §. XVI. XVII.

P. 204.

Quod attinet ad administrationem ceremoniarum, præscriptionemque rituum quorundam, quos forte observandos injungunt, boni eis sese bona fide submittere possunt, & hic quidem multo minus adest periculi, etiamsi forte gravissima onera humeris eorum imponerent, vel res sacras in legitima integritate ac simplicitate sua in administrare nollent. Ipse Christus, qui Phariseis exprobrabat (Matth. XXIII. 3. 4.) eos humeris hominum imposuisse onera gravissima, quæ ipsi ne digitis quidem attingere vellent, reprehendebatque, eos legem Dei traditionibus suis admistis corrupisse, atque abolivisse; idem tamen populo dixit: quæcunque illi vobis dixerint, servate & facite. Ne, cor vere humile facile credit, sese commoverisse, ut durius merito, atque etiam graviori sub jugo coerceatur. Et licet forte videat, res sacras sibi ex dimidia tantum parte administrari, attamen ne illam quidem partem sibi pro meritis suis deberi arbitratur. Unde quoniam jure sibi omnia adimi posse credit, magnam sibi gratiam fieri æstimat, dum Deus eam sibi partem, quæ adhuc administratur, superesse finit. Præterea non ignorat, hæc ipsa tantum esse externas quasdam accessiones; solum contemptum eorum, non autem privationem nocere; partem autem præcipuam, & solidam, quæ sola necessaria & sufficiens sit, in ipso corde inveniri. Atque ita nunquam committet, ut orbem



*bem turbis impleat, aut ut vexationes sibi atque cruentam forte mortem attrahat eo nomine, quod administrationem eorum, quæ ita, uti diximus, comparata sunt, suæ voluntati conformari velit.*

*Quod si jugum gravius videatur, humilitas tamen atque patientia propter amorem Dei id ferre non recusabunt. Iterum dico, meruimus sane severitati hominum subesse, ex quo placidissimas operationes atque tranquillam gubernationem Spiritus S. ulro deseruimus.*

### Disquisitio hujus loci.

I. Cum Deus sit Numen liberrimum, quod summa libertate omnia condidit & administrat, homini ad imaginem suam creato *libertatem* pro imaginis istius apice dedit. Novimus etiam *civilem libertatem*, cum morali ista seu spirituali neutiquam comparandam, pro summo & inæstimabili bono in regnis & hominum societatibus haberi. Et cum per peccatum perditum esset spirituale libertatis depositum, ipse Filius Dei, suscepto servitutis jugo, nos a servitute redemptos, quantum in ipso est, in libertatem restituit. Et hujus libertatis pars non exigua etiam in eo est, quod conscientia nostra a ceremoniarum, inprimis earum, quæ non solum superstitione sunt, sed etiam sub prætextu necessitatis ad salutem, seu alicujus meriti, urgentur, nec non ab humana auctoritatis jugo ac onere exempta, in rebus ad salutis negotium pertinentibus, soli Christo liberatori subit, servatis tantum iis, quæ boni ordinis ratio requirit, nec libertati contraria sunt. Verum enim vero quia Poiretus ipsum redemptionis, seu liberationis, opus, sensu evangelico intellectum, revera non solum ignorat, sed obscurat etiam atque explodit; mirum non est, quod nec liberationis fructum, qui in *libertate christiana* est, agnoscit, sed hanc etiam partim negatam, partim obscuratam, in *servitutem* Aegyptiacam, seu Babelicam, convertit, libertatis Christi ad duram indignamque clitellariorum conditionem redactis, ita ut de iis usurpari possit illud Comici: *Ego homines habeo clitellarios, magni oneris, quidquid imponas, vehant.*

2. Chri-

2. Christum verbis istis ad populum dictis: *quaecumque illi vobis dixerint, servate & facite*, Matth. XXIII, 3, 4. Marc. VII, 9. respexisse ad jugum e proprio Pharisæorum arbitrio cumularum ceremoniarum ac traditionum, e textu illo probari nequit. Contrarium potius integer contextus ostendit, utpote qui gravissimam continet censuram in Pharisæos, ita ut, his ob ipsam adaucti jugi causam acriter reprehensis, populus a jugo isto avocetur. Et quid tum, si Christus Judæos, populum sub oeconomia Mosaica maxime *ἑροδύγιον*, ad istud cumulari jugi obsequium remisisset? quid hoc ad Christianos, ad libertatem redemptos, vocatos, regeneratos? Auctor vero noster cum ipse ceremoniarum papalium jugum haud subierit, & hoc respectu istud ne digito quidem tetigerit, quae conscientia alios ad onera istarum *δυσβάσαντα* adstringere poterit, ejus admiratores viderint.

3. Verbis vero istis de *dimidiata rerum sacrarum administratione* respici ad sacrilegium mutilatae sacrae cœnæ, quo sublato uno alterum tantum rei coelestis symbolum exhibetur, manifestum est. Cujus impii facinoris submissam piamque tolerantiam quando Auctor commendat, argumento ab indignitate nostra ducto, certe malus est consiliarius, potius a Burignoniae suae, quam a Christi, disciplina ac principiis pendens. Fuerint nonnulla, immo multae, animae viis mysticis addictae, tam credulae tamque bajulae ac onerariae, ut onerosas humanarum superstitionum sarcinas sibi imponi siverint; quid hoc ad animas generosiores, & ad sua libertatis jura, ipso Christi sanguine acquisita, emergentes?

4. Quando autem Poitetus ita pergit: *Nunquam commitet, ut orbem turbis impleat*, videor mihi fere videre phraesologiam Aesopicam de *ore*, quam lupus turbatae aquae ream vocitabat. Num enim ovis Christi, quando se mercenariis lupisque subducit, & vero pastori suo concredit, lupinarum faucium ac unguularum in se concitatarum culpam sustinere potest? Nonne hac ratione pontificiorum furor armatur adversus innocentes, tanquam tranquillitatis ecclesiasticae turbatores, igne & ferro e medio tollendos?

5. Nec

5. Nec ex rei veritate loquitur Auctor, quando id, quod ad voluntatem Domini desideratur, vocat rem, quam quis suæ voluntati velit conformari.

6. Quæ de vexationibus & cruenta morte, negatæ conformationis nomine non attrahendis, ibidem dicuntur, quin manifestam & Christo indignissimam crucis fugam prodant, æquis dubitabit? Quod si primævis christianis, qui, inter suorum temporum lupos constituti, vel exigui thymiatii accensione vitam fortunasque suas poterant redimere, sed Christi causa harum jacturam pro lucro habebant, Auctor noster consultor exstitisset, eos fortasse etiam habuisset pro factiosis capitibus, & suimet exilii fabris. Ego certe non video, cur idem principium, si verum bonumque est, non ad utriusque generis martyres applicari debeat. Etenim illi etiam ex ista hypothese potuissent Deum retinere in corde, & imperatum istum humiliationis actum ad cultus interioris adminiculum referre, immo cogitare, se in honorem veri Dei facere, quod ad cultum idolorum imperatum fuerat. Sed absit per omnem modum de sanctis martyrum cohortibus talia vel cogitare velle.

7. Quæ de promerita jugi pœna adduntur, valeant in illos, qui istud non agnoscunt, & hac ipsa libertatis evangelicæ auctoritate ostendunt, se nec usu ejus dignos esse. Non vero dicantur in lucis, gratiæ ac libertatis filios, agniti Christi & evangelii causa juribus ac privilegiis suis dignos.

Not. 1. Hæc pauca, ut spero, sufficient ad dijudicanda ea, quæ Poiretus non sine magno evangelicæ veritatis detrimento, nec sine quæsito papatus patrocinio, de ceremoniis tradit. Idem argumentum Auctor seorsum tractavit in libello Gallicæ Amstelodami a. 1682. edito, inscripto: *La paix des bonnes mes.* qui Germanice versus sub titulo, *Gewissens Ruhe vom mer Seelen* Lipsiæ 1701. & Norimbergæ 1714. non sine lektorum, qui judicio probandi destituti sunt, periculo prodit.

D

2. Quem.

2. Quemadmodum jam supra sub Dissertationis primæ in Dodec. posteriore initium indicavi, constitueram ultimar huic Dissertationi subjungere appendicem *ἀνὰ τὴν Φαλαγγικὴν* de nexu veritatis evangelicæ catenato, erroneæ dogmatum Poiretianorum catenæ opposito. Verum enim vero ipsa Dissertationis ratio, quæ justam pro disquisitione academica mensuram jam tum obtinuit, me a proposito isto retrahit. Nec arbitror, operam istam esse necessariam, etsi non negem, imperitis illam haud parum inservituram fuisse. Poterunt tamen etiam hi ex attenta Dissertationum mearum lectione sine ulla difficultate perspicere, quæ sit, uti veritatis Evangelicæ, sic etiam errorum Poiretianorum analogia & quasi genealogia, utpote jam sparsim ostensa & ad oculum quasi demonstrata. Huc accedit nova, cur ista hic omittam, ratio, posita in apologia aliqua, cujus necessitatem mihi editor Posthumorum Poiretianorum imposuit; aut potius in publica declaratione causarum, cur justa apologia superfedere possim & scriptor iste nulla dignus sit responsione. Et hac opera in forma epistolæ responsoriæ ad amicum, Theologum aliquem præclarum, quocum jam dudum litterarum commercium mihi intercedit, quam brevissime defungar.

EPISTO-

EPISTOLA APOLOGETICA  
AD AMICUM,  
POSTHUMORUM POIRETIANORUM  
EDITORI OPPOSITA.

VIRO SUMME REVERENDO

N. N.

S. D. P.

D. JOACHIMVS Lange.

**I**N superioribus tuis, vir amplissime, scire aves, quisnam sit auctor, qui in Posthumis Poiretiani prope finem tam impetuosè & inhumaniter in me sit invecus? & an aliquid ipsi sim repositurus? Auctorem ignoro. Esse autem scitatore Pireti ejusmodi, qui tantum non in magistri sui, quemadmodum ille in Burignonia, verba juraverit, res ipsa indicat. Et cum theologia ista, cui cum duce suo deditus est, magna ex parte sit pseudomystica, mirum non est, ipsum tam impetuosè scripsisse ac inhumaniter. Vera enim sapientia, quæ *γνῶσις* mystica est, ab inhumano ejusmodi seroque impetu abhorret. Et cum hujus generis adversario ut in certamen, etsi apologeticum, descendam, ipse haud suaseris mihi. Nec res ipsa illud exigit. Etenim methodum tractationis adhibui talem, qua vix ulla alia esse potest vel justior, vel equior ac rei ipsi convenientior.

Cum animadverterem, Piretum manifestas doctrinæ evangelicæ corruptelas, *μωτικώτερος* propositas, phraseologia

D 2

bibli-

biblica, & hac ratione simul insigni specie, incrustare, & de elencho sibi opposito speciose admodum conquesturum esse, injuriam sibi fieri, seu verbis suis inferri vim, eaque contra mentem suam in alienos plane sensus detorqueri; huic querele omni studio obviam ivi, h. e. ipsum sermonis ipsius contextum, in membra sua divisum, integre exhibui, & hunc ita examinavi, ut singula ejus pensa subjunctis observationibus elencticis raris raris excusserim, & quid res sit, colorum suorum fuco nudata, aperte & ingenue significaverim, errore quovis e latebris suis protracto. Atque ita mentem auctoris pervertere, aut ei quidquam contra sententiam tribuere, nec volui, nec potui.

Non volui, quia, si hac mihi mens fuisset, sermonis ipsius textum non adposuissem. Qui enim tam perverse agunt, data opera abstinere ab hac methodo, sed pro ea verba auctorum aut plane non referunt, aut ea carptim tantum & extra contextum ac corrupte transcripta vellicant. Id quod quo magis ipse detestor, & in aliis ex instituto publice improbari, eo minus ipse committere volui. Et hac ipsa, quam elegi, methodo salva ne potui quidem. Quandoquidem enim lectores meos ita duco in rem presentem, ut, qui auctoris libro destituuntur, ipsam ejus mentem e sermonis ejus *συναφεια* eruere, percipere, ac simul dijudicare possint, an ipsi vel tantillum, quod non statuat, adscribam; nequaquam potui ullam adhibere *επιβλόμενα* in interpretando & examinando, nisi memet ipsum studio & data opera prudentium verique ac recti amantium lectorum justo odio voluissem exponere. Quis autem talem scribendi modum scopumque homini sanæ mentis ulli, nedum theologo, in univ-  
sa

se ecclesie facie versanti, tribuet? Certe tanta bonae conscientiae fiducia, tanta plerophoria, hac in parte favor, ut major esse haud possit, nec ullum vel acerrimum censorum, modo a pertinaci partium studio alienus sit, reformidem, paratus in hac ipsa causa coram ipso Dei iudicio inrepide comparere. Qua sane contestatione gravissima (quam mihi virulem τὰ ἀντιδύοτος imputatio exprimit) nulla esse potest major & religiosior.

Huc accedit, quod Auctorem tractem satis honorifice, dum, praeter eruditionis ac celebritatis elogium, saepiuscule repetitum, non solum ab acerba abstineo insectatione, quam in aliis videas ipsius censoribus, quibus is inter alia fere sine numero fanaticus dicitur; sed identidem quoque moneo, in opere Oeconomiae ejus multa inesse egregia, seu verissima ac utilissima, lectu & observatu digna, imprimis talia, quae, pro evidentia ac divotiae sua, multos lectori stimulos ad sinceram summi numinis reverentiam & sanctam voluntatis ac operum ejus considerationem ingenerare possint. Ipsum etiam auctorem nunquam desinam referre in numerum sincerorum Dei cultorum ac scriptorum, qui sua bono animo ac bonum in finem scripserunt.

Nec est, quod quis existimet, benignius hoc iudicium pugnare cum elencho meo. Aliud enim est Deum colere sincere, ac manu quasi ducere alios ad cultus divini sinceritatem, hypocrisis & vitae epicureae oppositam; aliud Deum colere recte ad doctrinam apostolicam hypotyposin, & hanc ipsam integre habere perspectam, ac incorrupte aliis tradere. Modum vero disputandi minus sincerum, saepe etiam admodum acer-

acerbum, & non raro sophisticum, ac ratione Scripturæ sacre pseudohermeneuticum, doctissimi viri præjudiciis, erroribus ac reliquis navis tribuo. Valeat itaque etiam in hoc auctore illud Pauli: omnia probate, quod bonum est, retinete I Thess. V, 21. Qui inter eruditos non ignorant, quibus inde ab annis pluribus cum Poireto intercesserit disceptatio, agnoscent, vix inter omnes fuisse illum, qui secundum justas disquirendi leges cum ipso egerit æquius, ac me egisse & ipse certus sum & ἀποψία unumquemque docet. Nes repugno, sed potius ipse suadeo ac commendo, ut, quæcunque per se erronea non sunt, aut excusari possunt, & aliqua tantum ἀνορολογία laborant, in bonam partem accipiuntur.

Qui vero hæc quoque ad æquitatem referunt ac moderationem, ut, quod res est, dicatur nunquam, & ut sophismata non detegantur, nec sua erroribus foedis ac gravibus pigmenta demantur varia, neque isti his nudati in gravitate sua sistantur ante oculos; certe illi, nec quid caritas, nec quid veritas sit valeatque, norunt, aut considerant.

Præterea, quoties id res ipsa pro scopo meo, qui totus ad demonstrationem & convictionem directus est, requirere visa est, tractationi elenctica præmissi dogmaticam, hæc apud errantes aditum elencho meo paraturus, & simul imbecilliores alios, at dociles tamen, in evangelica doctrina confirmaturus. Novi enim, illos, qui in proposito veri rectique studio ab utroque aberrant, non solum aberrationes suas pro recta habere via, sed identidem quoque conqueri, secum agi ex auctoritate humana & ex præjudiciis, ac se impugnari ex erroribus παραπαραδότοις, adhibitis armis theologiae scholasticae



laſtice ficulneis. Quas querelas ut præſcinderem, in gravioris momenti materiæ elencho præmiſi ejuſmodi didaſcaliam, quæ auctoritate humana, qualis hominum tribui ſolet effatus ac teſtimoniis, plane ſepoſita, & confeſſione eccleſiæ noſtræ ſymbolica iidem prætermiſſa, e conſeſſo fidei principio, ſeu ſola Scriptura ſacra, deducta eſt. Et hanc deductionem, catenata propoſitionum ſerie coherentem, ejuſmodi demonſtrandi vim & evidentiã habere, quæ mathematicæ nihil cedat, exercitatus & docilis lector, quod certiffimus ſum, deprehendet & fatebitur. A veritate autem, in tam firmo præſidiorum munimento conſpicua, quando recedere dogmata Peiretiana demonſtro, nulla locum habet ἀπομαχία, ſeu λογομαχία, ſed ubique ingens oſtenditur ἀντιλογία, eſi ab auctore doctiſſimo miris pigmentis & coloribus incruſtata & exornata.

Et hæc tractandi ratio plana, demonſtrativa ac genuina, ſcopum meum genuinum eſſe, per ſe jam abunde reſtatuitur. Nullus me affectus & impetus eo abripuit. Nihil, cuius rei Deus teſtis eſt, dedi vel odio, erga auctorem, vel ullum alium hominem, concepto, vel favori ullius hominis capiendo; ſed univerſum negotium ſuſcepi & perfeçi e ſolo Chriſti, veritatis atque eccleſiæ amore ſincero, ad hanc operam cum ab ipſo eccleſiæ ſtatu, tum venerandorum collegarum hortatu adductus. Ad eccleſiæ evangelicæ faciem quod attinet, hæc, præter perpetua vitæ ſcandala, uti ſemper habuit, ſic imprimis ab aliquot annorum decadibus nova accepit doctrine ſcandala; & quidem ex una parte in præpoſtero zelo pro orthodoxia, in multis doctrine capitibus falſo creditis; ex altera in commendato ejuſmodi chriſtianiſmi præctici ſtudii, quod apud nonnullos a doctrine puritate aberravit,

& iij

Et in hac aberratione sua scriptis publicis fuit disseminatum. Hæc vero postquam curatius considerata cum systemate doctrinæ Poirretiano consuli, errorum plerorumque fontem in eodem deprehendi, tunc demum observans, plerisque auctores alios ea, quæ a doctrinæ Apostolicæ forma abhorrent, inde hausisse.

Et in hac ipsa sententia ab aliis confirmatus sum, præcæcitim a venerandis collegis meis. Unde, cum his ante aliquot annos propositum meum aperirem dogma de justificatione una atque altera Dissertatione academica a corruptelis Poirretianis vindicandi, suasores mihi exstiterunt, ut doctrinæ evangelicæ, pluribus in partibus ab eodem auctore contra apostolicam hypotyposin propositæ, vindicias ex instituto susciperem, errorum Poirretianorum catena ostensa & dissoluta. Unde animum, primum ab hoc labore alieniorem, ad istum in timore Domini sincere applicavi. Et hoc absoluto etiam factum est satis desiderio Theologi meruissimæ, beati PHILIPPI JACOBI SPENERI; quo is ante annos plures, cum Berolini ab ipsis latere hærerem, ecclesiæ causâ aliquando admodum sollicitè exoptabat, ut justum Oeconomiæ Poirretianæ examen susciperetur, me ipsum coram inveniens, & haud obscure significans, se hanc operam a tenuitate mea expectare.

Hæc fuit institui mei ratio, hæc est tractandi methodus. Quæ quemadmodum sua se sinceritate, quod spero, probabit æquæ lectoribus cunctis; sic eosdem non deprehensuros esse, quod in elencho meo justè desiderare possint, plane confido. Intellego autem non minutias, sed ipsam quasi substantiam elenchi. Et cum de ejusmodi lectorum omnium approbatione certus sim, & non paucorum calculum jam acceperim,

*rim, manifesta est causa, cur Dissertationum mearum vindictam supersedere possim.*

*Huc accedit causa alia haud levior in adversarii mei, Posthumorum Poirertianorum editoris, indole & qualitate posita. Hic enim pro responsione, qualem res ipsa & iustae methodi leges postulabant, centrum ac nervum vindictarum Poirertianarum posuit in conviciis, adeo cumulatis exasperatisque, ut acerbitas, furori simillima, in omnem quoque scripti peripheriam se diffundat. Unde istud doctissimus recensiois Lipsiensis, quae in Actis eruditiorum facta est, auctor mihi ignotus, non immerito improbavit, eisi Dissertationes meas ne legit quidem. Et hic Poirertianorum editori isti insectationem suam procul dubio tacita mente majori vertet vitio, si fortasse aliquando e Dissertationum mearum lectione animadvertit, falsissima esse, quae is mihi objecit, seu ex amarulento affectu adversus me confinxit: quemadmodum manifestam e- lenchi vōdēiav prodir, nonnulla scriptoris verba e contextu suo evulsa vellicare, ut is mea vellicat.*

*Ne autem tantummodo conviciari videretur defensor iste Poirertianus, simul operosus est in magistri sui vōdēiav, quae doceri, ornanda, ad hunc & istum locum provocans: quae tamen loca, & per se & secundum contextum suum considerata, nil nisi vōdēiav & vōdēiav τῆς πλῆθους, Paulo tantopere invisam Eph. IV, 14. continent. Et cum illa ipsa a me in Dissertationum (quarum priores tantum, posterioribus nondum editis, sibi impugnandas sumsi ὁ ἀντιδύων) progressu jam excussa sint, eo iustus elenchi mei vindictis supersedere possim, quo minus eas res ipsa postulat & animus τῆς ἀντιμεμῆνς turbidus & impetuosus admittere poterit, cum, si non*

E

studio,

studio, tamen præ amarulenti affectus impetu pervertat omnia.

Cujus iniquitatis, scriptorem mysticum, si *γυνώσκω* talis esset, omnium minime decentis, tantum duo specimina in medium offeram. Cum in juventute mea inciderem in librum doctissimi Poireti de Eruditione, istum non sine fructu legi ac relegi. Et cum deinceps ipse librum, qui Medicina mentis inscribitur, concinnarem, in eo honorificam, at non nisi ad veri rectique terminos limitatam, Poireti mentionem feci, ingenue professus, me e scripto ipsius olim profecisse; idque ipsum passim allegavi. Cum vero postea etiam reliqua auctoris scripta, præcipue ipsius Oeconomia, antea haud visa auditaque, in manus meas venirent, & deprehenderem, auctorem in diversis doctrinæ christiane capitibus [a quibus abstinet liber de eruditione] graves fovere ac propagare errores, in iteratis libri mei editionibus unum atque alterum verbum in Poireti mentione ita mutavi, ne cum offensione lectorum viderer ipsius etiam errores in aliis libris proditos approbasse. Hoc ipsum, quod veritatis & prudentiæ lex requirebat, & pro signo animi sinceri & ab inconsulto partium studio alieni, accipi debebat, ὁ ἀντιλέγων ἡμῶν ἀνεπιτηδίου τῆς αἰτίας αὐτῆς ἀβρίπτει: quasi ego, quando unius libri mentionem injeci ipsi gratam, etiam in reliquorum, ne visorum quidem, nedum lectorum, verba jurassem.

Alteram, quod hic notari velim, momentum hoc est. Oeconomiam Poireti publicis dissertationibus expensurus non ignovabam, Theologum Tubingensem, D. J. W. JAEGERUM, ejusmodi operam jam ante me occupasse in Examine Theologiae novæ. Cum vero hoc Examen, in quo, quæ desiderabam

*bam ipse, non deerant, frequentiore allegatione meum facere haud possem, ab ista in singulis Dissertationibus meis plane abstinui. Ne autem lectoribus meis, qui libri istius notitiam habebant, viderer, ignorasse, illum exstare, tantum sub operis mei initium istius mentionem feci, producto ex eodem uno atque altero loco, ubi auctor de Poirero, quem alias durius tractavi, in ipsa censura honorifice sensit: scilicet ipsum esse subtilis ingenii virum, qui si intra terminos verbi divini substitisset, inter primos seculi nostri Theologos referri posset. Item: se mirari ingenium & acumen iudicii in Poirero, quod etiam distorta & male alias coherentia in tam concinnam methodum & ordinem redigere sciverit: & quod vera & falsa, sana ac morbida, tam subtili nexuerit eloquentia, ut acie ingenii opus sit ad vitium in subdolo silo deprehendendum. Hec sunt, quae e Jægeri scripto allegavi. Et quia vir hic jam dudum celebritatis famam fuerat adeptus, & ratione ætatis ac gravissimorum munerum erat venerabilis, ipsum vocavi celeberrimi nominis, & paulo post venerabilem Theologum. Hæc autem Poirerianorum Posthumorum editor mihi tanto vertit vitio, quod acerbissima insectatione exagitandum esse censuit. Quæ de scriptoris istius pseudomystici indole proposita cum ita sint, ut unumquemque doctus docet, cum illis, quæ antea de elenchi mei methodo ac æquitate dixi & cuilibet ante oculos versantur, collata, satis superque ostendunt, me Dissertationum mearum vindictis omnino supersedere posse, & meum ἀντιμέσων responsione esse indignum & melioris institutionis incapacem. Hæc, vir summe reverende, ad questionem tuam epistolis, supra memoratas, habeto, non tibi solum, sed publico etiam destinata. Vale in Domino. Hala Saxon. exeunte mense Junio anni M DCC XXII.*

PRAE-

PRAESES  
RESPONDENTI

S. D. P.

**I**nter disputantes, in Oeconomia Poiretiana ex-  
amine occupatos, tibi ultima quidem cecidit  
fors, carissime Schulzi, at non minima. Per-  
magnum enim momenti res est, nosse illecebras papatus,  
easque ita effugere, ut monitis consiliisque instruere  
possimus alios. Nulla autem insidiae sunt speciosio-  
res & nocentiores illis, quas theologia pseudomystica  
fruit. Noveris vero de libertate evangelica, quae  
nos a superstitioso ceremoniarum & intolerabili au-  
toritatis humanae jugo liberat, ita sentire, quem-  
admodum sanctitate Evangelii dignum est, eaque  
porro ita uti, ut ejus scopus requirit. Et cum non  
ignores, Deo servire in spiritu ac veritate, sum-  
mam esse libertatem, ipsi servies ingenue; & nunc  
quidem adhuc in vita privata; simulac vero Deo  
placuerit, publice in sacro Evangelii ministerio.  
In quo ut aliquando multos feras fructus, est, quod  
non solum spero, sed pro mea etiam de te, domesti-  
co meo *ἐν τῷ κτῶνι*, concepta fiducia, confido. Hal-  
l. prid. Cal. Jul. MDCCXXII.







JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Mt:





DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
ULTIMA, SEU IPSA DUODECIMA,

50

DE  
**PATROCINIO  
ET SEMINIBUS  
PAPISMI,**

QVAE IN OECONOMIA VIRI CLARISSIMI,  
*PETRI POIRETI,*

PASSIM EXTANT,  
PRAECIPUE IN MATERIA DE CEREMONIIS ECCLESIASTI-  
CIS ET *ἑθελοθησικία:*  
QVAM, SUBJUNCTA EPISTOLA,  
POSTHUMORUM POIRETIANORUM EDITORI  
OPPOSITA,

IN REGIA FRIDERICIANA,  
DIE *JUL. HVJVS MDCCXXII. ANNI,*  
PLACIDAE *συζητήτων* DISQVISITIONI SUBMITTIT *ca.*

PRAESES  
**D. JOACHIMUS Gangel**  
S. S. THEOL. PROFESS. ORDIN.  
ET ACAD. h. l. PRO-RECTOR,

RESPONDENTE  
**JOANNE CHRISTIANO Schulz /**  
LUCKENWALDENS. MAGDEB. S. THEOL. STUD.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

